


DE DIONYSII HALICARNASSENSIS ET HERMOGENIS  
IN AESTIMANDIS VETERUM SCRIPTORIBUS INTER SE RATIONE.



**N**aud mirum videbitur Dionysium Halicarnassensem et Hermogenem inter se conferri, quippe qui et de reficiendis atque excolendis literis graecis optime meruerint et ad viam ac rationem ineundam aliis innumeris exempla imitatione dignissima proposuerint. Atque Hermogenem quidem rhetorem, qui intra brevissimi temporis spatium miro ingenii acumine et laude amplissima floruit, fati iniqui invidia viginti quinque annos natum insanabili eheu mentis debilitate caecatam (Philostr. Vitt. Sophist. II, 7. Suid. s. v. Hermog.), illum igitur in imitatorum permultorum et commentatorum ore versatum esse, eorum quae supersunt scriptorum testimonio confirmatur. At Dionysius eadem fortuna primo post ipsius obitum saeculo usus esse non videtur, quanquam postea libros ejus in manibus rhetorum multorum versatos esse scimus. Nam quis est qui auctorem eum adferat intra magnam annorum seriem, nisi unus Quintilianus, ac ne is quidem ita, ut aliis illum auteferat vel copiosius exhibeat: Institutt. Orator. III, 1, 16. (de artis rhetoricae scriptoribus) „Multa post Apollonius Molon, multa Areus, multa Caecilius et Halicarnasseus Dionysius“; IX, 3, 89. (de figuris) „Haec omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt, sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius aliique non pauci; sed non minor erit eorum, qui vivunt, gloria“; IX, 4, 88. (de pedibus metricis in oratione vel captandis vel fugiendis) „Licet paeona sequatur Ephorus — eademque dicant Theodectes ac Theophrastus, similia post eos Halicarnasseus Dionysius: irrumpent etiam ad invitos“ etc. Sed leviter tantum attingitur Dionysii opera, injuria, ut mea quidem fert sententia. Nam ipsius studia, quae in eligendis et aestimandis optimorum scriptorum libris versantur, a multis deinceps retractata sunt, inde ut rationem quandam inter omnes intercedere appareat.

Verum enim vero commune illud omnium criticorum veterum vitium huc pertinere mihi videtur, quod et in fontium, unde hauserint, locis tacendis et in aliorum sententiis ac narrationibus, tanquam ipsorum fuerint, excerptis maxime

reprehendimus. Illud enim pro certo habemus, Hermogenem Dionysii scriptis operam navasse, velut De ideis III, 293. (Walz, Rhet. graec.) profitetur: οὐ μὲν ἄλλ' εἴτε βεβηκώς εἴτε μὴ ὁ τοιοῦτος εἶη ῥυθμός (i. e. numerus orationis pedestris), ἴνη μὴ πάντη τῷ Διονυσίῳ, ὅς δοκεῖ περὶ λέξεως τι πεπραγματεῦσθαι, ἀντιλέγων, δῆλον ὡς τοῦ κάλλους ἐστὶν ἴδιος. Idem scholiastas Hermogenis sensisse apparet: cf. Joann. Sicel. Schol. in Hermog. Ideas VI, 350. (Walz): ἀκριβολογεῖσθαι δὲ οἶμαι ταῦτα (sc. περὶ ῥυθμοῦ) τὸν τεχνικόν (i. e. Hermogenem), οὐ τῇ ἑαυτοῦ φύσει χρώμενον, ἀλλὰ Διονυσίῳ ἐπόμενον τῷ Ἀλικαρνασσεῖ, ὅς τὰς τοιαύτας λεπτότητας ἐδίδουξεν μὲν, οὐκ ἐποίησε δὲ.

Age jam in aestimandis veterum scriptoribus, in qua re utrumque maximam curam postuisse pro studiorum similitudine certum est, quae ratio inter eos intercedat, disputemus atque exponamus, illud quam maxime respicientes, in quibus iudiciis Hermogenes Dionysio auctore usus fuisse, in quibus eum neglexisse videatur. Atque nunc quidem rerum scriptorum Herodoti, Thucydidis, Xenophontis dicendi genera, qualia ab utroque censeantur, dijudicetur. Quo quae pertinent Dionysii scripta, sunt epistola illa ad Cn. Pompejum inde a cap. III, in qua parte de Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Philisto, Theopompo iudicia, ex secundo de imitatione libro repetita exhibentur, quibuscum conferatur libellus ille, qui τῶν ἀρχαίων κρίσις inscribitur, ex eodem disputationis de imitatione libro secundo excerptus. De Thucydide vero amplissime illo libro, qui est „De Thucydide historico iudicium“, ad Qu. Ael. Tuberonem scripto, maxima diligentia iudicatur. Quibus quae addenda sunt facile ex aliis rhetoris scriptis, ut ex libro de Compositione verborum et de Demosthene, collegi possunt. Eisdem illos scriptores tres Hermogenes in libri de Ideis parte altera lectorum iudicio proponit.

De Herodoto igitur quae ab Hermogene prolata sunt, haec habes: Rhet. gr. ed. Walz. III, p. 395. Ἐν τοίνον τοῖς κατ' ἱστορίαν πανηγυρικοῖς πανηγυρικώτατος ἐστὶν ὁ Ἡρόδοτος. τὸ δ' αἰτίον, ὅτι μετὰ τοῦ καθαροῦ καὶ εὐκρινοῦς πολὺς ἐστὶ τὰς ἡθοναῖς. καὶ γὰρ τὰς ἐννοιαῖς μυθικαῖς σχεδὸν ἀπάσαις καὶ τῇ λέξει ποιητικῇ κέχρηται διόλου. μέγας δὲ πολλαχοῦ μὲν ἔχει καὶ τὸ κατ' ἐννοιαν, κατὰ μέντοι ἐπιπέσειαν καὶ τὸ πολὺ τοῦ κόσμου τὸ συναμφοτέρον, καὶ τὴν ἡθονὴν ἔχει καὶ τὸ μέγας. οἱ γὰρ πλείστοι τῶν ῥυθμῶν αὐτῷ κατὰ τε τὰς συνθήκας καὶ τὰς βάσεις δακτυλικοὶ τὲ εἶσι καὶ ἀναπαιστικοί, σπονδειτικοὶ τε καὶ ὄλως σεμνοί. ἤδη δὲ καὶ πάσῃ προσώπων, εἴπερ τις ἄλλος, κάλλιστα καὶ ποιητικώτατα μεμίμηται. διὰ δὲ τούτων καὶ πλείονι τῷ μεγέθει πολλαχοῦ κέχρηται, ὡς ἐν τε ἄλλοις καὶ ἐν τῇ ἐβδόμῃ τῶν ἱστοριῶν κατὰ τοὺς Ξέρξην πρὸς Ἀρτάβαζον (rectius Ἀρταβανόν) κάκινου πρὸς Ξέρξην περὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων λόγους.

„In eis quae historiae ratione panegyricae dicenda sunt, prorsus panegyrico dicendi genere Herodotus utitur, utpote qui una cum dictione clara et distincta saepe ea tractet, quae voluptate afficiunt. Nam et sententiis fabulosis fere omnibus et poetica dictione omnino utitur. Sublimitate autem in multis rebus etiam sententiae refertae sunt; quapropter quod ad rerum gravem tractationem et ad maiorem exornationis partem attinet, haec habet utrimque conjuncta, et suavitatem et



sublimitatem. Plurimi enim numeri et secundum compositionem et pedes dactylicā ei sunt et anapaestici, spondaici omninoque sublimes. Hominum autem mores et affectus graviores, si quis alius, praestantissime et maxime poetae instar expressit. Ideo in multis locis sublimitate majorem in partem utitur, cum in aliis tum in septimo historiarum libro per Xerxis cum Artabano et per hujus cum Xerxe de rebus gestis humanis colloquia.“

Herodotus igitur rebus jucundis ac suavis propositis dulcis esse dicitur. Id qua ratione intellegendum sit, Hermogenes in capite *περὶ γλυκύτητος* (313 sqq. Walz.) uberius exponit: "Ἐννοιαὶ γλυκυσταὶ τε καὶ ἡδονὴν ἔχουσαι μάλιστα μὲν πᾶσαι αἱ μυθικαί. — κατὰ δεύτερον λόγον τὰ διηγήματα, ὅσα ἐγγὺς μύθων ἐστίν. — τρίτην ἔχει τάξιν τὰ κατ' ὀλίγον μὲν πως τοῦ μυθικοῦ κοινωνοῦντα διηγήματα μᾶλλον δὲ ἢ κατὰ τοὺς μύθους πιστευόμενα. (p. 314.) οἷά ἐστιν ἅπαντα τὰ Ἡροδότου· μυθῶδη γὰρ ὀλίγα ἔχει — τὰ μὲν τοὶ ἄλλοι καὶ πιστεύεται γεγονέναι καὶ ἀπῆλλαται τοῦ μυθικοῦ κ. τ. λ. Postea causam affert hanc: quae sensibus suaviter percipiuntur, velut regionis amoenitas, plantarum varietas, fluviorum cursus, ea etiam, si legantur, voluptate afficere (*ταῦτα γὰρ καὶ τῇ ὄψει προσβάλλει ἡδονὴν ὀρώμενα, καὶ τῇ ἀκοῇ, ὅτε ἀξαγγέλλει τις.*) Praeterea autem suavitatem effici Hermogenes docet eo quod res sensuum expertes sensibus uti finguntur, in qua dicendi ratione Herodotus multus versetur (p. 317), velut magna cum suavitate in Xerxis cum Hellesponto agendi ratione describenda. Suavem autem dictionem esse et sedatam simplicitatem una cum perspicuitate conjunctam, et poeticam elocutionem; nam Herodotum suavitatis maxime appetentem praeter componendi artem et sententiis ad suavitatem efficiendam idoneis elocutione quaque simplicitatis maxime propria uti, suavitatem vero optime eo assequi, quod dialectum quasi quandam poeticam pronunciaverit. Id ne quis miretur, dialectum Ionicam poeticam ideoque suavam esse addit, neque quod aliis quoque dialectis utatur id momento quoquam esse, cum et Homerus et Hesiodus et alii poetae multi maxime quidem ionicam, sed haud paucis locis alias dialectos pronuncient.“ Cf. Quintil. IX, 4, 18. In Herodoto vero cum omnia (ut ego quidem sentio) leniter fluunt, tum ipsa *διὰλεκτος* habet eam jucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur.

Quae cum ab Hermogene disputata sint, facile intellegitur, qua de causa in illo de Herodoto loco p. 395. suavitatem in sententiis fabulosis enarrandis et in dictione poetica ponat. Alteram tribuit Herodoto virtutem, sublimitatem dico vel *μέγιστος*, nam et sententias sublimitate refertas inveniri et numeros ad eam exprimendam aptissimos, spondaicos aliosque graves, velut dactylicos et anapaesticos, minime illos molles neque suavitati inservientes.

Jam Dionysium conferamus. Ut Hermogenes Herodoti *μέγιστος* et *ἡδονὴν* laudibus effert, ita ille de comp. verbb. c. 10., ubi scriptori et suavitatem et pulcritudinem petendam esse exposuit, Herodoti utramque propriam esse judicat: *ἡ δὲ Ἡροδότου σύνθεσις ἀμφοτέρω ταῦτα ἔχει· καὶ γὰρ ἡδυστά ἐστὶ καὶ καλῆ.* Pulchrum illud nihil aliud esse

nisi quod Hermogenes *σεμνόν* vel *μέγας* appellat, evincitur de Demosth. c. 41., ubi Homerum optime assequi *τὴν τε ἡδονὴν καὶ τὸ σεμνόν*, illum autem ex rerum scriptorum numero praestantissime Herodotum imitari dicit. Cf. (Longin.) de sublimitate p. 31. Jahn: ἢ μόνος Ἡρόδοτος ἡμηρικώτατος ἐγένετο; Porro ut alter ille scriptoris dictionem *καθαράν* et *εὐκρινῆ* laudat, sic Dionysius in illo libro, qui maxime huc pertinet, nimirum in epist. ad Cn. Pomp. c. 3., Herodotam et Thucydidem inter se comparans, disputat: *λέγει τις ἄν, ὡς μετὰ τοῦ σαφοῦς ἐξεταζόμενον ἡδὺ φαίνεται τὸ βραχύ* (quod quidem Thucydides magis obtinere dicitur)· *εἰ δ' ἀπολείπεται τούτου, πικρὸν. ἀλλὰ μὴ δὲν ἔστω παρὰ τοῦτο.* Quae verba male depravata quam sententiam significant, apparet ex Vett. censura c. 3: *τῆς σαφηνείας ἀναμειβητικῶς Ἡρόδοτος τὸ κατόρθωμα δέδοται.* Accedit quod Hermogenes dialectum ionicam maxime poeticam esse existimat ideoque Herodotum poetica dictione uti, Dionysius autem epist. ad Cn. Pomp. c. 3. sic iudicat: *Ἡρόδοτος τῆς ἰάδος* (sc. *διαλέκτου*) *ἀριστος κανών.* Quoniam de poetica hujus dialecti vi ac virtute nihil hic addit eodemque sensu iudicium intellegi vult, quo Thucydidem optimum Atticae dialecti artificem appellat. In hoc autem consentiunt, quod Hermogenes inter graves ac severos numeros dactylum et anapaestum refert (De ideis p. 229.) sicut Dionysius de comp. verbb. c. 7. de dactylo: *πανὸ σεμνός καὶ εἰς κάλλος ἁρμονίας ἀξιολογώτατος*, (similiter Aristoteles Rhet. III, 8: *σεμνός καὶ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος*.) de anapaesto: *ἔχει πολλὴν σεμνότητα, ἐπιτήδειος, ἐνθα δὲ μέγας περιδεῖναι τοῖς πράγμασιν ἢ πάθος.* In eo denique dissentiunt, quod alter historiographum hominum et animi affectus sedatiores et vehementiores ac graviore optime quasi in conspectu lectorum posuisse censet, alter priores illos in eo collaudat, Thucydidi vero in affectibus gravioribus exprimendis palmam tribuit. Cf. Epist. ad Cn. Pomp. c. 3. *Θουκυδίδης, — τὰ πάθη ἀηλῶσαι κρείττων.* Ἡρόδοτος δὲ τὰ γ' ἡδὴ παραστήσαι δεινότερος, et ex his Quintil. Institt. Orator. X, 1, 73: ille (Thucydides) concitatis, hic (Herodotus) remissis affectibus melior. (Omnino Quintiliani iudicia multa ex Dionysio desumpta esse facile cognoscimus.) Praeterea autem Dionysius laudem ab altero ne significatam quidem tribuit: etenim *πρέπον* illud, quod in elocutione ad res hominesque singulos accommodata cernitur, maxime a Dionysio in Herodoto laudatur, ab Hermogene contra silentio omittitur, quamvis aliis locis *τὸ ἥθος* i. e. *τὸ πρέπον* maxime commendat.<sup>1)</sup>

1) p. 303. 304.: *χρησιμώτατον* — καὶ τοῦτο δὴ τὸ ἡθικὸν εἶδος τοῦ λόγου εἰδέναι ὅπως γίνεται. — λέγω ἥθος νῦν — τὸ ἐγκαταμίγνυσθαι πεφυκός πανταχοῦ. — ἐπιτενο μὲν γὰρ γένοιτο ἄν, εἰ τοῖς ὑποκειμένοις προσώποις οἰκείους καὶ πρέποντας τοὺς λόγους περιάπτει τις· οἷον στρατηγοῖς ἢ ῥήτορας ἢ τοῖς ἰδίως ὀνομασθεῖσιν ἡθικοῖς, οἷον λιχνοῖς ἢ δειλοῖς ἢ φιλαργύροις ἢ τοῖς τοιοῦτοις. De illo quod τὸ πρέπον appellabant uberrime Dionysius disputat de comp. verbb. c. 20. Cf. Cic. Orat. 21, 70. — 22, 74. Apparet apud Hermogenem τὸ ἥθος s. τὸ ἡθικόν εἶδος, idem esse ac τὸ πρέπον.



Ita cum certa quaedam discrimina accedant, tamen tantum abest ut omnino dissentiant, ut venustatem ac suavitatem Herodoteam, in qua summa virtus inesse dicitur, aequae magnis laudibus efferant. Id enim facile intellegitur collatis his utriusque verbis: Dionys. Epist. ad Pomp. c. 3. (p. 775.) ἡδονὴν δὲ καὶ παιδῶν καὶ τέρψην καὶ τὰς ὁμοιογενεῖς ἀρετὰς εἰσφέρειται μακρῶ Θουκυδίδου κρείττονας Ἡρόδοτος, et Hermog. De ideis p. 396.: καὶ τῶν ἱστορικῶν δὲ ἐν πρώτοις Ἡρόδοτου διὰ τοῦτο ἐμνήσθημεν, ὅτι πανηγυρικώτερος καὶ ἡδίων οὐ Θουκυδίδου μόνον, ἀλλ' ἴσως ἀπάντων ἐστὶ τῶν οὕτω γράφειν λόγους προσηλομένων. Atque in his virtutibus quantopere aliis praestiterit Herodotus, similiter docet Dionys. Judic. de Thucyd. c. 23 (p. 865.): οὗτος δὲ (sc. Herodotus) κατὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν καὶ κατὰ τὴν σχηματισμῶν ποικίλιαν μακρῶ δὴ τινι τοὺς ἄλλους ὑπερεβλάετο καὶ παρεσκίασε τῇ κρατίστη ποιήσει τὴν πεζὴν φράσιν ὁμοίαν γενέσθαι παιδοῦς τε καὶ χαρίτων καὶ τῆς εἰς ἄκρον ἡκούσης ἡδονῆς ἕνεκα· ἀρετὰς τε τὰς μεγίστας καὶ λαμπροτάτας ἔξω τῶν ἐναγωνίων οὐδὲν ἐν ταύταις ἐνέλεπεν κ. τ. λ. Eadem sententia extat apud Hermog. De ideis p. 399.: οὐ μόνον ἡ ἔννοια ἰκανῆ λόγων εἶδος ὁτιοῦν ἐξεργάσασθαι, πολὺ δὲ ἔχει καὶ ἡ λέξις καὶ τὰ περὶ τὴν λέξιν, οἷον σχήματα, κῶλα, συνῶμαι, ῥυθμοὶ, ἀναπαύσεις, πρὸς ἡδονὰς ποιῆσαι καὶ γλυκύτητας, οἷαι εἰσιν αἱ παρὰ Ἡρόδοτου. Cf. qui de Herodoteo dicendi genere uberius disputat Baehr, Herodoti Halicarnassensis Musae Vol. IV. p. 468. sqq.

Quae cum ita sint, Hermogenes in isto quidem iudicio de Herodoto edito vestigia saeculorum serie quasi firmata et ipse pressit, ita ut non minore ex parte Dionysii sententias proferat. Transeamus ad Thucydidem: De quo quae ab Hermogene in universum disputata sunt De ideis III, p. 396—399, haec habes. Primo enim Thucydides, ut magnitudinem assequatur, sublimitatem (τὸ σεμνόν) affectat; in hoc studio modum excedit, maxime in elocutione, i. e. in verborum conformatione, quia ad duritatem quandam et asperitatem (τὸ ἀσφαρέστερον et τὸ σκληρότερον) ideoque ad ἀσάφειαν perducitur. Id vitium etiam in compositione verborum cernitur; nam cum ornatum quandam sublimem et justo ampliorem affectet, in supergressiones (ὑπερβολὰς) et novitates (καινότητας) compositionum incidit, quo fit ut illud σκληρότερον ideoque ἀσφαρέστερον etiam huic parti inhaereat. Ac gravitate quidem et dignitate quadam affectus est (ἀξιοματικὸς) quam maxime. In sententiis vero πολιτικὸς quidem et σεμνὸς est si quis alius — nam nullam non sedulo excogitavit et pertractavit, vel in meris narrationibus —, sed in eas pronuntiandi via ac ratione eandem non exhibet virtutem, quia praeter μέγεθος illud seu quid aliud hujuscemodi etiam artificiosa quadam scribendi ratione (κατασκευαίς) utitur: inde fere omnino fit ἀγλευκὴς s. suavitatis expers. Hanc si qua in parte exhibet, quasi alienum quoddam minimeque ipsius proprium dicendi genus prae se ferre videtur. At quod suavitati quoque interdum inservit, mirum nemini esse debet, cum qui quorumvis virorum orationes et dicendi genera elaborat atque imitatur, unam eandemque dictionem sinceram servare nequeat. Ad historici denique munus quod attinet, in concionibus quidem et dialogis imitandi artem exercet, sed in istis vel duriores atque injucun-

diorem quam in narrationibus se praestat, quippe in quibus perspicuitate haud rara ornatus sit.

Age quid Dionysius censeat, nunc considerabimus. Qua in re mirum in modum Dionysium auctorem artis criticae factitandae extitisse, nobis facile persuadebitur. Atque uberrime quidem et diligentissime eum de Thucydide quaesivisse ac disputavisse, epistola ad Cn. Pompejum missa, altera epistola ad Ammaeum, libro qui de Thucydide historico iudicium inscribitur, luculentissime apparet. In his quae summa arte critica statuerit, nunc exponere eo magis supersedendum videtur, quod quae huc pertinent collegit F. Blass, *Die attische Beredsamkeit von Gorgias bis zu Lysias*, p. 202—239, quoque propius ad ea accedi oportet quae Hermogenes enunciauit. In libro cit. quod Blass p. 202. not. 1. annotat: „Auch Hermogenes stimmt wesentlich, in Lob und Tadel, mit Dionysios überein“, ii loci Dionysiani erui posse nobis videntur, quos Hermogenem respexisse certe veresimile est.

At dixerit quispiam Hermogenem satis in ipsius iudicio acquiescere, cum haec fecerit verba (p. 397): Ὁ τοίνου Θουκυδίδης μάλιστα μεγέθους ἐφιέμενος τυγχάνει μὲν τοῦ μεγέθους, οὐ μὴν οὐπερ ἐφίεσθαι μοι δοκεῖ μεγέθους τυγχάνει· βούλεται μὲν γὰρ, ὡς ἐγωγε οἶμαι, σεμνὸν εἶναι τὸν λόγον αὐτῷ, ὅπερ ἴδιον μεγέθους πανηγυρικοῦ· φαίνεται δὲ ὑπερβαίνων τοῦτο κ. τ. λ. In quibus sane ipsius iudicium significatur; at idem invenitur apud Dionysium de illo ejus virtutis quae est τὸ σεμνὸν studio Thucydideo. Huc vel maxime spectat Dionys. de Demosth. c. 4.: τῆς Θουκυδίδου καὶ Γοργίου τὴν μεγαλοπρέπειαν καὶ σεμνότητα καὶ καλλιλογίαν ἀνεῖληψε (sc. Isocratis dictio). Deinde quae Hermogenes profert: φαίνεται δὲ ὑπερβαίνων τοῦτο, καὶ μάλιστα κατὰ τὴν λέξιν, ἐπὶ τὸ τραχύτερον μᾶλλον, καὶ τὸ σκληρότερον, καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ τὸ ἀσαφέστερον, conferenda sunt cum Dionys. de Thucyd. c. 24.: ἵνα δὲ συνελὼν εἴπω, τέτταρα μὲν ἐστὶν ὡσπερ ὄργανα τῆς Θουκυδίδου λέξεως· τὸ ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων, τὸ πολυειδὲς τῶν σχημάτων, τὸ τραχὺ τῆς ἀρμονίας. — ὅταν δ' ἔλλειπῃ τὸ τῆς δυνάμεως — ἀσαφὴς τε ἡ λέξις γίνεται, porro De Demosth. c. 10. Cf. Blass l. c. p. 205. De verborum autem compositione quod Hermogenes dicit: ἐπιμελεῖται μὲν γὰρ κόσμον ὅτι μάλιστα· βουλόμενος δὲ εἶναι καὶ τοῦτο ὑψηλὸν αὐτῷ καὶ ὑπέρογκον, πάλιν ὑπερεκπίπτει κατὰ τὰς ὑπερβολὰς καὶ τὰς καινότητας τῶν συνθηκῶν, ὥστε ἐπὶ τὸ σκληρότερον, καὶ δι' αὐτὸ ἐπὶ τὸ ἀσαφέστερον φέρεσθαι, de ornatu apud Thucydidem Dionys. de Demosth. 1. exponit: ἡ μὲν οὖν ἐξηλλαγμένη καὶ περιττὴ καὶ ἐγκατάσκευος, καὶ τοῖς ἐπιθέτοις κόσμοις ἀπασι συμπληρωμένη λέξις, ἧς ὄρος καὶ κανὼν ὁ Θουκυδίδου — τοιαύτη τις ἦν, *ibid.* c. 9. (de Thucyd. compositione) τοῦτ' ἔστι τὸ μὴ κατ' εὐθείαν ἐρμηνείαν ἐξηγεῖσθαι τὰ νοήματα, μηδ', ὡς ἐστὶ τοῖς ἄλλοις συνήδεις, λέγειν ἀπλῶς καὶ ἀφελῶς, ἀλλὰ ἐξηλλάχθαι καὶ ἀπειστράφθαι τὴν διάλεκτον ἐκ τῶν ἐν εἶδει καὶ κατὰ φύσιν, εἰς τὰ μὴ συνήδη τοῖς πολλοῖς, μηδ' ὡς ἡ φύσις ἀπαιτεῖ, de Thucyd. c. 24.: ἐπὶ δὲ τῆς συνθέσεως τῶν τ' ἐλαττόνων καὶ τῶν μειζόνων μορίων, τὴν ἀξιοματικὴν καὶ αὐστηρὰν καὶ στιβαρὰν καὶ βεβηκνύαν καὶ τραχύνουσαν ταῖς τῶν γραμμάτων ἀντιτυπίας τὰς ἀκούας, *ibid.* c. 33. Οὗτος ὁ χαρακτὴρ τῆς ἀσαφούς καὶ πεπλεγμένης λέξεως, ἐν ἧ κλείων



ἔνεστι τῆς λέξεως ἢ σκοτιζουσα τὴν διάνοιαν ὀχλησις κ. τ. λ., Cf. De Lys. c. 3. (Θουκυδίδης) ἐν πολλοῖς ἐξήλλαξε τὴν ἐρμηνείαν εἰς ὄγκον ἅμα καὶ κόσμον ὀνομάτων ἀηδέστερον. De obscuris sentiis Thucydideis cf. Dionys. de Thucyd.: εὐάριθμοι γὰρ τινές εἰσιν οἱ πάντα τὰ Θουκυδίδου συμβαλεῖν δυνάμενοι, καὶ οὐδ' οὗτοι χωρὶς ἐξηγήσεως γραμματικῆς ἔνια. Hunc ipsum inter criticos consensum animadvertit Blass l. c. p. 225. c. not. 4.

Quae vero de gravitate et de sententiarum expositione densa ac subobscura dicuntur, comparatis utriusque rhetoris verbis, inter se non discrepant. Nec mirum, praesertim cum antiquitatis ipsius critici omnes de illa inter se consentiant: cf. Cic. Orat. 30: ipsae illae contiones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intellegantur, Quintil. X, 1, 73: „Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides.“ Illud unum paullo uberius disquirendum erit, quod ab utroque de orationibus et dialogis Thucydideis iudicatur. Atque Hermogenes quidem taxat illud σκληρόν et τραχύ: ὁ αὐτός δέ ἐστι κἀν τούτοις, μᾶλλον δὲ μειζόνως ἐστὶν ἐν τούτοις τοιοῦτος, οἷον αὐτὸν ἐχαρακτηρίζομεν. ἐπεὶ ἐν γὰρ τῇ ἱστορίᾳ ἤττον ἐστὶ σκληρὸς καὶ τραχύς. Similem inter enarrationes et orationes rationem statuit Dionysius de Thucyd. c. 55: ὁμολογοῦμεν τὸ διηγηματικὸν μέρος αὐτῆς (sc. τῆς Θουκυδίδου λέξεως) πλὴν ὀλίγων πάνυ θαυμαστῶς ἔχειν, καὶ εἰς πάσας εἶναι τὰς χρεῖας εὐδαίμων· τὸ δὲ δημηγορικὸν οὐχ ἅπαν εἰς μίμησιν ἐπιτήθειον εἶναι. Majore etiam in stultos Thucydideae dictionis amatores et imitatores similitate, qua Ciceronem quoque incitatum fuisse scimus (cf. Orat. 30. 171.), orationum elocutionem reprehendit de Thucyd. c. 34.: ἢ δὲ πλεῖον ἔχουσα τὸ τεχνικὸν καὶ λαμπροτέραν ποιούσα φαίνεσθαι τὴν ἑτέραν, ἐνδεστέρα τοῦ δέοντος ἐπὶ πολλῶν, et c. 35.: ὁρῶ δὲ καὶ περὶ τὴν λέξιν ἐλαττώματα (sc. τῶν δημηγοριῶν), περὶ ὧν ἤδη προείρηκα, πλεῖστα καὶ μέγιστα ταῦται συμβεβηκότα ταῖς ιδέαις· καὶ γὰρ αἱ γλωττηματικαὶ καὶ ξέναι καὶ πεποιημένα λέξεις ἐν ταῦταις μάλιστα ἐπιπολάζουσι, καὶ τὰ πολύπλοκα καὶ ἀγύλα καὶ βεβιασμένα σχήματα πλεῖστα περὶ ταῦτας ἐστίν. Cf. c. 49, ubi exponit, quam ob causam illa dicendi ratio densa ac contracta nec ad iudicia nec ad conciones accommodata sit.

Ita in hac quoque re utrumque virum criticum cum altero consentire apparet, nisi quod Dionysius alia affert, quae Hermogenes omisit neque quae erat iudicii brevis quam sibi proposuit, exponenda putavit.

Venio ad Xenophontem. De quo quidem Dionysius de comp. verbb. c. 10., cum Thucydidis dictionem pulchram, Herodoti et pulchram et suavem appellet, haec profert: ἢ τοῦ Σωκρατικοῦ Ξενοφῶντος (sc. λέξις) ἠδύως μὲν, ὡς ἐνὶ μάλιστα, οὐ μὴν καλῶς γὰρ (sc. σύγκριται), ἐφ' ὅσον εἶδει, sicut Artis rhetoricae Dionysii nomine traditae cap. II, 9. docetur, qui orationem nuptialem habeat, ei utendum esse λέξει ἀφελεί μᾶλλον, ἐγγύς Ξενοφῶντος βραίνοντα. De hac suavitate Xenophontea inornata atque incompta omnes consentiunt critici: Cicero Orat. 32.: „sermo melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus,“ et Quintil. X, 1, 82.: „Quid ego commemorem Xenophontis illam jucunditatem inaffectedam sed quam nulla consequi affectatio possit?“ Dionysius autem Xenophontem cum Herodoto comparans Epist. ad Cn. Pomp. c. 4., ubi de

πραγματικῶ χαρακτῆρι disputavit, haec statuit: rerum nominibus dilucidis utitur Xenophon neque caret perspicuitate; verba in usum communem commutata et rebus adaptata adhibet, compositione utitur grata ac jucunda. Sublimitatem vero illam Herodoteam et venustatem et gravitatem tantum abest ut assequatur, ut elocutione interdum ad sublimitatem provecta vires ingenii eum deficiant. Nam et justo uberius in ambagibus versatur neque ut Herodotus orationem ad rerum hominumque singulorum indolem accommodat, immo in multis locis negligentiae convincitur, ut De vet. cens. III, 2. additur: περιτιθεῖς ἀνδράσιν ἰδιώταις καὶ βαρβάροις ἔσθ' ὅτε λόγους φιλοσόφους, λέξει χρώμενος λόγοις (διαλόγοις;) μᾶλλον ἢ στρατιωτικοῖς κατορθώμασι, quae verba glossematis habenda sunt.

Quibus cum Hermogenis iudicium adjunctum erit, hic quidem uberius de dicendi genere Xenophonteo disserere videbitur, — velut narrationes fabulae specie exornatas, in quibus summam ponit suavitatem, laudibus effert —, sed in suavitate ac dulcedine plane consentiunt. Neque id mirum. Nam de ea nemo unquam dubitavit, id quod ex locis Ciceronianis et Quintilianeis supra allatis evincitur.<sup>1)</sup> Sed cum Dionysius illud σαφές et καθαρόν leviter tantum attingat, idque in verbis et verborum compositione extare dicat, Hermogenes de ἀφελεία quae dicebatur apte scitissime disputat.<sup>2)</sup> "Ἐννοιαὶ ἀφελεῖς, ut p. 305. dicit, εἰσὶν ἀπλῶς μὲν εἰπεῖν αἱ καθαραὶ· αἱ γὰρ ἀπάντων ἀνθρώπων κοιναὶ καὶ εἰς πάντας ἀνθρώπους ἀνελθοῦσαι ἢ δοῦσαι ἀνελθεῖν καὶ μηδὲν ἔχουσαι βραδὺ μηδὲ περινενομημένον, ὅηλον ὡς ἀφελεῖς ἂν εἴησαν ἡμῶν καὶ καθαραὶ. Proxime vero ad Dionysium accedit Hermogenes, quod sententias granditate refertas a Xenophonte ad finem perducere non potuisse existimat. Dionysius enim habet haec: ὕψος δὲ καὶ κάλλος καὶ μεγαλοπρέπειαν καὶ τὸ λεγόμενον ἰδίως πλάσμα ἱστορικόν<sup>3)</sup> Ἡρόδοτος ἔχει. οὐ γὰρ μόνον οὐκ ἴσχυσε τοῦτο παρ' αὐτοῦ λαβεῖν, ἀλλὰ καὶ ποτε διεγείρει βουλευθεῖα τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας, ὡς περ ἀπόγειος αὔρα, ταχέως σβέννυται. Hermogenes p. 392. μεγέθους δὲ κατὰ μὲν ἔννοιαν ἀπτεται πολλαχοῦ· καθαιρεῖ δὲ καὶ τοῦτο, καὶ βιάζεται πρὸς τὸ ἀφελές ταῖς μεθόδοις καὶ τῇ λέξει καὶ τοῖς περὶ τὴν λέξιν ἄπασι. Quae ut utriusque critici consensum

1) Cf. etiam Cic. De orat. II, 14, 58.: „ille autem superior (sc. Xenophon) leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat, vehemens fortasse minus, sed aliquantotamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior.“

2) De ideis p. 391. ταῖς ἀπὸ τῆς ἀφελείας αὐτῆς ἡδοναῖς πολλαῖς χρώμενος. p. 392. τῆς παρὰ τῷ Πλάτῳ ἀφελείας πολλῆ ἢ παρὰ τοῦτω ἀφελεστερα ἐστὶ, κατ' αὐτὰς τὰς ὑποθέσεις τῶν πραγμάτων τοιαῦτα γινόμενα, οὐ μόνον κατὰ τὴν λέξιν καὶ τὰ ἐπόμενα τῇ λέξει. p. 393. ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα κατ' ὑπερβάλλουσαν ἀφελείαν ἔχει τὴν ἡδονὴν, ἥπερ οὐχ ὁμοίως ὁ Πλάτων χρῆται.

3) Quam perverse Dionysii sententia in Vett. cens. reddatur, praeter multas alias corruptelas haec docent verba: ὕψους δὲ καὶ μεγαλοπρεπείας καθόλου τοῦ ἱστορικοῦ πράγματος (sic!) οὐκ ἐπέτυχεν.



ostendunt, ita Hermogenes in ipsius iudicio stare alio argumento probatur. In libello enim illo eximio De sublimitate Longini nomine tradito p. 15. Jahn., Timaei sententiis et comparationibus pusillis indecorisque reprehensis de Xenophonte haec afferuntur: τί δὲ θεῖ περὶ Τιμαίου λέγειν, ὅπου γε καὶ οἱ ἥρωες ἐκείνοι, Ξενοφῶντα λέγω καὶ Πλάτωνα, καίτοιγ' ἐκ τῆς Σωκράτους ὄντες παλαίστρας, ὅμως διὰ τὰ οὕτως μικροχαρῆ ἑαυτῶν ποτε ἐπιλανθάνονται; ὁ μὲν γε ἐν τῇ Δακαδαμονίων γράφει πολιτεία· ἐκείνων μὲν γοῦν ἦττον μὲν ἂν φωνῆν ἀκούσαις ἢ τῶν λιθίνων, ἦττον δ' ἂν ὄμματα στρέψαις ἢ τῶν χαλκῶν, αἰδημονεστέρους δ' ἂν αὐτοὺς ἠγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς παρθέτων. Ἀμφικράτει καὶ οὐ Ξενοφῶντι ἐπρεπε τάς ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν κόρας λέγειν παρθέτους αἰδήμονας. — ὁ μὲντοι Τιμαίος, ὡς φωρίου τινὸς ἐφαπτόμενος, οὐδὲ τοῦτο Ξενοφῶντι τὸ ψυχρὸν κατέλιπεν.<sup>1)</sup> Iste autem libellus sive ut Buchenau (De scriptore libri περὶ ὕψους. Marb. 1849.) voluit, Vespasiani tempore scriptus est, sive alio, certe ante Hermogenis aetatem prodiit. Eoque majore est momento quod ille prorsus diversam sententiam de Xenophonte protulit; nam quod apud Pseudo-Longinum ingratum animo et quasi sensibus abhorridum appellatur, idem ab Hermogene suave praedicatur, nimirum comparationum genus quoddam audacius. Sententia enim hac prolata, ἀφελειαν illam Xenophonteam etiam multo ἀφελειστέραν esse Platonica et in dicendi ratione et in materia proposita argumentum utriusque viri Convivium affert: unum enim ipsa saltationum et amplexuum gaudia inferre, alterum feminarum oblectamentis despectis graviori cogitandi rationi operam dare. Inde pergit p. 392.: τοιοῦτος δὲ ὁ Ξενοφῶν κἀν τοῖς ἱστορικοῖς, ὡς κἀν ἄλλοις. οἶον, ὅτι χιλὸν ἐστέψαντο, ὅταν λέγῃ, καὶ ὅτι τοῖς παισὶν ὡς ἐνοῖς διελέγοντο, καὶ ὅτι πίνειν ἀπὸ τοῦ κρατήρος ἐπικύψαντας ἔδει καθάπερ βοῦν. ταῦτα γὰρ καὶ ἴτα τοιαῦτα κατ' ὑπερβάλλουσαν ἀφελειαν ἔχει τὴν ἡθονήν. Quanquam de gustibus disputari non potest, tamen nobis illud sufficit Hermogenem alterius iudicium in usum sibi non convertisse.

Denique non ita inter se discrepare videtur, quod Dionysius Xenophontem inepte rerum hominumque indolem expressisse censet, Hermogenes in natura sincera et quasi inculta depingenda plus proficere quam in ceteris.<sup>2)</sup> Quanquam mirum in modum apud Dionysium verba, quae huc pertinent, μακρότερος γὰρ γίνεται τοῦ θεόντος ἐν πολλοῖς καὶ τοῦ πρέποντος, καὶ οὐχ, ὡς Ἡρόδοτος, ἐφάπτεται τῶν προσώπων εὐτυχῶς, ἀλλ' ἐν πολλοῖς ὀλιγωρὸς ἐστίν, ἂν τις ὀρθῶς σκοπῇ, cum sententia proxime antecedenti conjuncta sunt. At quod Xenophon sublimitatem Herodoteam assequi nequit nec,

1) De Timaeo iudicium simile Dionysius profert De Dinarch. c. 8.: οἱ δ' Ἰσοκράτην καὶ τὰ Ἰσοκράτους ἀποτυπώσασθαι θελήσαντες ὕπτιοι καὶ ψυχροὶ καὶ ἀσύστροφοι καὶ ἀναληθεῖς. οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ περὶ Τιμαίον καὶ Ψάωνα καὶ Σωσιγένην.

2) p. 393.: κἀν ταῖς μιμήσεσι δὲ τῶν προσώπων μᾶλλον εὐδοκίμει, ὅτε ἀφελῆ καὶ ὡς ὄντως ἀπλαστα καὶ ἀπλά καὶ ἡδέα ἦδη ψυχῶν μιμοῖτο. ὥσπερ καὶ τὸ τοῦ Κύρου παιδὸς ἔτι ὄντος, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

si quando altiora petit, ipsius ingenio adjuvatur, id quidem verborum ambagibus et inani quadam dicendi ubertate intellegi consentaneum est, sed prorsus aliud vitium eo continetur, quod elocutionem ad hominum indolem accommodare nescit. Quapropter sententiarum consecutione intellecta verba Dionysiana rectius sejungenda esse consenties.

In universum autem Hermogenes accuratius ac diligentius de Xenophonte quaesivisse cognoscitur quam Dionysius, nisi forte hic in alio quodam libro nunc deperdito praeter illos de imitatione scriptos disputationem similem atque uberiores instituit: id quod quibusdam ex causis verisimile non est. Largius igitur Hermogenes disquisivit de Xenophonte. Velut virtutes illas quas dicit *δριμύτητα* et *δξύτητα* (p. 392.), ei tribuit<sup>1)</sup> et hoc observat, eum poeticis quibusdam elocutionibus ceterorum verborum notione alienis uti, ut verbo *πορσύνειν*.

Aliud restat ut disquiramus. Dionysius enim, ut optimorum scriptorum virtutes in conspectu posuit suisque sectatoribus vel in scholis quotidianis vel in dissertationibus illis eximiis, ut De compositione verborum, De Demosthene, Lysia, Isocrate, Isaeo, Dinarcho, in epistolis ad Ammaeum, Pompejum, Tuberonem, aliis scriptis nunc deperditis, ita primus, quod sciamus, literarum genera quaedam secundum scriptorum recensionem in ordinem certum redegit. Neque vero parvae laudi rhetori nostro vertimus singularem cujusvis literarum generis notitiam, de qua dubitatio omnis tollitur accurate libro de compositione verborum perspecto. Sed illuc revertor. Notum est Dionysium eloquentiae graecae usque ad Demosthenem historiam variorum dicendi generum ratione habita composuisse. Moneo grandis dicendi generis auctores Thucydidem et Antiphontem, tenuis Lysiam, medii Thrasy-machum et Isocratem et Isaeum, illius autem quod horum virtutes omnes habet expolitas Demosthenem, cui Dionysius, ut De Isaeo c. 20.<sup>2)</sup> significat, Hyperidem et Aeschinem aemulos addidit. Haec copiosissime noster primus inquam exposuit. Aliam operam in historiographiae disquisitionem contulit. Nam et logographorum qui dicuntur studiis ab Herodoto expletis hunc ipsum una cum Thucydide quasi summum fastigium historiographiae graecae protulisse ostendit, et utriusque imita-

1) Quae sit illa *δριμύτης*, p. 323. sqq. accuratius exponit; cf. p. 325. τὸ μὲν γὰρ κατ' ὁμοιότητα λέξεως ἐμφαίνει τινὰ δριμύτητα. Adponatur hoc loco exemplum ab Hermogene p. 324. propositum. Xenophon Cyneg. III, 8. causas, cur canes justo brevius tempus in persequendis feris collocent, affert has: *μαλακίαν, ἀήθειαν, φιλανθρωπίαν*. Haec autem *φιλανθρωπία* notione libenter hominibus se admiscendi usurpatur, cum quotidiano usu misericordiam atque succurrendi studium significet.

2) Ἐτέραν δὲ ἀρχὴν ποιήσομαι τοῦ λόγου, περὶ τε Δημοσθένους καὶ Ὑπερίδου καὶ τρίτου λέγων Αἰσχίνου· ἡ γὰρ δὴ τελειοτάτη ῥητορικὴ, καὶ τὸ κράτος τῶν ἐναγωνίων λόγων ἐν τούτοις τοῖς ἀνδράσιν ἔοικεν εἶναι.



tores certos quosdam rerum scriptores extitisse demonstrat. Atque Thucydidem quidem a Philisto, Herodotum a Xenophonte expressum esse in Epist. ad Cn. Pomp. cc. 4. 5. exponit. Theopompum autem dicendi rationem Isocrateam proxime secutum esse c. 6. probare studet. Quae comparationes apud nullum virum criticum inveniuntur, nisi apud unum Dionysium, neque ullum verbum de Xenophonte Herodoti imitatore edidit Hermogenes. Idem ille p. 400. satis locuples testis est<sup>t</sup> Theopompum et Philistum, de quibus scriptoribus Dionysius longius disputat loc. cit., ne minima quidem laude apud Graecos floruisse, quanquam utrum certum quendam auctorem imitati sint necne ejus verbis firmo argumento evinci nequit in dubioque relinquatur.<sup>1)</sup> At quanto praestantiores laudem de Theopompo dicendi generis Isocratei aemulatore explicat Dionysius exeunte epistola ad Cn. Pomp., cum et ipse Philisti dictionem gravissimis verbis taxet. Atque illum quidem satis magnis laudibus effert Quintil. X, 1, 74.: „Theopompus his proximus ut in historia praedictis (sc. Thucydide et Herodoto) minor, ita oratori magis similis, ut qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator.“ Cum quibus verbis conferas Dionysii l. c. cap. 6.: *Θεόπομπος — πολλοὺς μὲν πανηγυρικοὺς, πολλοὺς δὲ συμβουλευτικοὺς συνταξάμενος λόγους.* Quin etiam cum Demosthene eum Dionysius confert: *καὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος οὐδὲ κατὰ μικρὸν διαφέρει.* De Theopompi oratione etiam Cicero Brut. 17, 66.: „officit (sc. Philisti et Thucydidis sententiis concisis) Theopompus elatione atque altitudine orationis suae.“

Sed de Philisto Thucydidis imitatore Cicero ante Dionysium satis aperte exponit; cf. Brut. l. c. „Amatores huic desunt, sicut multis jam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus“ etc. Apertissime vero De orat. II, 13, 57.: „Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui, cum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda, maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus.“ Cf. Epist. ad Qu. frat. II, 13. Cicerone autem auctore usus Dionysius l. c. cap. 5. de Philisto judicat: *Φίλιστος δὲ Θεουκυδίδη μᾶλλον δόξειεν εἰοικέναι καὶ κατ' ἐκείνων κοσμεῖσθαι τὸν χαρακτήρα.* Et ex illo De vett. cens. III, 2. *φίλιστος δὲ μιμητὴς ἐστὶ Θεουκυδίδου.* Illarum autem iudicium accepit Quintil. X, 1, 74.: „Philistus quoque

1) P. 400. *Περὶ δὲ Θεόπομπου καὶ Ἐφόρου καὶ Ἑλλανίκου καὶ Φίλιστου — περιττὸν ἔδοξεν εἶναι μοι γράψαι, μάλιστα μὲν καὶ διὰ τὸ ἀπὸ τε τοῦ περὶ τῶν ἰδεῶν λόγου καὶ κατ' ἄνδρα εἰρημένων μὴ χαλεπῶς ἠγεῖσθαι δύνασθαι τινὰ καὶ περὶ ἐκείνων χαρακτηρίσαι. πρὸς δὲ τούτῳ καὶ ὅτι ζήλου καὶ μιμήσεως τὰ εἶδη τῶν λόγων αὐτῶν οὐ πάνυ τι, μᾶλλον δὲ οὐδ' ὄλως, ὅσα γε ἐμὲ γινώσκουσιν, ἠξίωται παρὰ τοῖς Ἕλλησι, καθάπερ τὰ τῶν ἄλλων, οἷον Θεουκυδίδου, Ἡροδοτου, Ἐκαταίου, Ξενοφάντος, τῶν λοιπῶν.*

meretur, qui turbae quamvis bonorum post eos auctorum eximatur, imitator Thucydidis et ut multo infirmior ita aliquatenus lucidior.“

Sed hac quaestione ad liquidum perducta illud disquirendum erit, qua ratione Dionysius ad Xenophontem et Herodotum inter se conferendum accesserit, de qua re nihil omnino ab Hermogene expositum esse intelleximus. Quam Baehr loco supra allato De vita et scriptis Herodoti p. 473. sic tractavit: „Inter Herodotei sermonis imitatores Dionysius refert Xenophontem<sup>1)</sup>, vix recte, cum nullum exstet certum hujus imitationis vestigium.“ Contra Hertlein (Xenoph. Cyropaedie, Einleitung p. 15.) in verbis Xenophontei Cyropaed. VIII, 6, 18. *ὅτι γε τῶν ἀνδρωπίνων περὶ πορείων αὕτη ταχίστη, τοῦτο εὐδὴλον*, quae ad Persarum morem nuntios perferendi in quoque diurno itinere uno equo ac viro collocato pertinere apparet, in eis igitur vestigium inesse existimat Herodoteorum librorum a Xenophonte inspectorum, quippe quae respicere putet Herodot. VIII, 98.: *Τούτων δὲ τῶν ἀγγέλων ἔστι οὐδὲν ὅτι θάσσον παραγίνεται θνητῶν ἔόν.* At licet Herodotum lectitaverit — id quod verisimillimum est — certe imitationis testimonium inde erui non potest. Ac profecto, si accuratius Dionysii rationes, a nullo alio unquam commemoratas vel similiter excogitatas, consideraverimus, nescio an rhetorica quaedam comparationum libertas inesse videatur. Primum enim a Xenophonte propositas esse dicit *ὑποθέσεις τῶν ἱστοριῶν καλῶς καὶ μεγαλοπρεπεῖς καὶ ἀνδρὶ φιλοσόφῳ προσηκούσας*, nimirum Herodoti exemplum imitato. Quibus quod additur, etiam inventionem secundum Herodotum factam esse (l. c. *ταῖς τε γὰρ ἀρχαῖς αὐτῶν ταῖς προπωδεδεστώταις κέχρηται καὶ τελευταῖς ἐκάστη τὰς ἐπιτηδειοτάτας ἀποδέδωκε. μεμέριμε τε καλῶς καὶ τέταχε καὶ πεποιήκισε τὴν γραφήν*), risum vix teneamus. Quae cum ita sint, haec sententia Dionysiana a posteris jure meritoque negligitur.

In universum igitur quae de praestantissimis Graecorum rerum scriptoribus ab utroque rhetore disputata sunt, ad hanc inter se referuntur rationem, ut Dionysius longe uberius et accuratius de unoquoque, atque accuratissime quidem de Thucydide quaesiverit, Hermogenes judicia quaedam antiquitus probata receperit easque sententias addiderit, quae ad finem propositum pertineant. Etenim hic quaestionem multo arctius circumscriptam instituisse intellegitur, cum rerum scriptorum ea tantum respiciat, quae ad panegyricam dicendi rationem spectant, non discrepans ab omnium veterum falsa sententia, qua historiam scribendi opera in genere dicendi demonstrativo (*ἐπιδεικτικῶ*) ponitur quamque ne a Dionysio quidem alienam fuisse et in Archaeologia romana maxime perspicui nobis persuasum est.

1) Dionys. Epist. ad Cn. Pomp. c. 4.: *Ξενοφῶν μὲν γὰρ Ἡροδότου ζῆλωτὴς ἐγένετο κατ' ἀμφοτέρους τοὺς χαρακτῆρας, τὸν τε πραγματικὸν καὶ τὸν λεκτικόν.* Vett. cens. III, 2.: *ὁ μὲν Ξενοφῶν Ἡροδότου ζῆλωτὴς ἐγένετο κατὰ τε τὰς πραγματικὰς ἀρετὰς καὶ τὰς οἰκονομικὰς καὶ τὰς ἠθικὰς τῶν διαλεκτικῶν (sic).*



Hermogenes autem ingenue fatetur historicos inter panegyricos referendos et quae panegyricae dictionis virtutes sint (σεμνότης, ἀφέλεια, γλυκύτης, καθαρότης, ἐπιμέλεια etc. III, 390. W.), eas historicis exercendas esse.<sup>1)</sup> Atque hujus consilii ratione habita ab eo judicatum esse ex eis quae disputavimus apparet.

---

1) III, p. 391. W. — ἡ ἱστορία ἔχει πλεονάζοντα πάντα, πάντως δεῖ καὶ τοὺς ἱστοριογράφους ἐν τοῖς πανηγυρικοῖς τετάχθαι, ὡσπερ οἶμαι καὶ εἰσὶν, ἐπεὶ καὶ μεγέθους καὶ ἡδονῶν στοχάζονται καὶ τῶν ἄλλων, οἶμαι σχεδὸν ἀπάντων.

